



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Ad Lectorem Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

AD LECTOREM PRÆFATIO.



FACULTATEM rectè, & ex diuinæ voluntatis sententia, atque cum animarum fructu concionandi non esse humanæ industria opus, nec ab artis cuiuspiam præceptionibus manare, sed Dei esse donum, ab eoque maximè pendere, nisi qui diuinam vim, & humanæ imbecillitatem naturæ ignorat, ignorare arbitror neminem. Quippe Deus ipse, qui sui verbi, quod prædicari oportet, author est, ac summus magister, sinè controuersia Christianum Oratorem tanquam instrumentum quoddam musicum tangere, ac mouere debet, vt eam reddat harmoniam, quæ non vt poetæ de Orpheo fabulati sunt, arbores, & saxa deliniant, ac post se trahat; sed cælesti quadam vi, ac dicendi efficacitate, durissima peccatorum corda perrumpat, atque è peccati cœno extractos, ac dæmonum erutos tyrannide, ad Deum perducat; deque perditis, & scelestis, pios, & sanctos, de leonibus, ac tygribus oues, & agnos reddat; Id adeo, si quis humanitas potius quam diuinitus fieri posse credat, nã ille totam ignorat euangelizandi viam. Vbi vero efficax Dei agentis præsentia, quæ suum afficiat instrumentum præsto erit concentum reddet apta suauitate potentem: & ipsum Dei verbum nequaquam suo fructu destituetur. Promittit hoc Isaiæ Deus cum ait: Verbum meum non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Sic informatos à Deo Optimo Maximo Prophetas omnes, certa fide tenemus. Idcirco enim dicitur, factum est verbum Domini ad Ezechielem. Et verbum Domini, quod factum est ad Osee: & factum est verbum Domini ad Ionam, & eodem modo cum cæteris Prophetis obseruatum esse satis vtique constat. Apostolis porro, quibus Euangelij lumen, per ignotas terras ignotiora maria ferendum tradebat Christus dixit, non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Cum vero præcipuus concionandi author Deus sit, vt dixi-

Facultas bene concionandi, Dei donum est.

Isa. 55.

Matth. 10

AD LECTOREM

diximus, eum tamen non eodem semper modo, etiam cum
 ijs doctoribus, qui rectè muneris sui partes explent, se gere-
 re, vel ipso experimento compertum est. Aliquando tanto
 dicentem pectus affectu replet, tantaque afficit spiritus fa-
 cundia, vt sit verbum, quod de ore eius egreditur, tanquam
 ignis vehemens, & perinde, vt malleus conterens petras.
 Nonnunquam vero ita concionantem videtur deserere, siue
 aliqua ipsius culpa, siue occulto iudicio, vt omnino eius fri-
 gescat, & iaceat oratio, & videantur ex ore eius potius cade-
 re verba, quam spiritus Dei impetu ferri. Hoc vero contingere
 credimus, aliquando diuina prouidentia, non sapienter
 magis quam amanter statuente, vt nimium ne nobis arroge-
 mus, neuè humanæ gloriæ abrepti æstu, in nobis nostra ponamus
 omnia. Experiebantur has vices sæpè & Propheta: Ne-
 que enim vt rectè D. Thom. cum cæteris docet Theologis, pro-
 phetia dabatur ad modum habitus permanens, sed prout Deo
 placebat, aut aderat, aut aberat aliquando. Hæc autem
 cum ita sint, concionandique facultas, vt Dei donum, plus
 à Deo, quam à quacumque arte, vel humana Industria pen-
 deat, & Prædicatori longè plus Deo, quam suo studio, inge-
 nio, ac diligentia fidendum sit: illud tamen pariter verum
 est, Deum nostram à nobis etiam industriam postulare. Nam
 sine dubio non solum negligentia, sed temeritatis esset impa-
 ratum, de rebus grauissimis verba facturum, sacrum Orato-
 rem ad dicendum accedere. Neque enim Christus cum ad
 suos Apostolos dixit, Nolite cogitare quomodo, aut quid lo-
 quamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, ve-
 nuit præmeditari, quæ pro concione dicenda essent, vt alibi
 explicamus, sed plus æquo esse sollicitos, tanquam monens,
 ne nostra industria magis quam diuina ope niti videamur. Hoc
 igitur requirit à nobis Deus, vt nos ipsos aptum instrumen-
 tum sibi exhibeamus: quo ipse ad suam gloriàm, & salutem
 vtatur animarum. Intellexit hoc egregius vates Elifæus, qui
 se aliquando prophetia spiritu destitutum sentiens, psalter-
 ad se vocari iussit, & ad psalterij eius sonum, animi vires cum
 collegisset ad Deum, sensit à Deo visitari sese, ac vaticinan-
 di spiritu repleti. planè concionaturus, diuina aspirante gra-
 tia, quantum in ipso est, psalterium suum ita componere de-
 bet, paratumque offerre, vt si Deo placuerit, efficacem adeo
 harmoniam reddat, vt ad benè psallendum coram arca Dei
 omnium

Ad bene di-
 cendum no-
 stra etiam re-
 quiritur In-
 dustria.
Matth. 10.

PRAEFATIO.

omnium animi excitentur. Quibus autem in rebus hæc industria collocanda sit, noster hic qualiscumque labor in hoc opere indicabit: conabitur certè Euangelij præconibus tanquam speculum quoddam proponere, vt in eo seipfos diligenter inspiciant, atque ad Dei nutum in opere tanti momenti, quanti est Dei legatum agere, singula quæquæ accuratè conforment: ne illud Hieremiæ, vel inuiti audiant Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter, vel vt alia habet lectio fraudulentè. Quippè fraudulentus est incuriosus Orator, qui suæ negligentia culpa Deum gloria, animas fructu, verbum Dei sua vi fraudat. Nec ego ignoro, quam difficili, & controuerso in argumento verfer, præsertim post multas doctorum virorum, & graues hac de re tractationes. Equidem per annos quamplurimos quibus concionando consenui, hanc prouinciam ritè in Ecclesia Dei administrare arbitratus sum semper, atque adeo expertus rem esse perdifficilem, magnique laboris opus, idquæ fatebuntur, opinor, omnes, qui graui iudicio præditi huic diuinae vocationi, ita insistant, vt Dei sermone viuò, ac penetrabili ferirè corda, non mortuis, & affectatis vocibus delinire voluerint. Verum enimvero in præsentiarum, longè difficiliorem mihi prouinciam aggredi videor, etate præsertim prouecta, atque effata, quanè corporis quidem vires suppetunt oneri sustinendo pares. Nec sane vllò modo huic ego humeros moli subijcerem, nisi Præpositi mei vrgerer imperio; Eoque minus, quod noster hic labor non vulgaribus rudibusque ingenijs, sed ijs peculiariter inferuire debet, qui non prudentia modo, ac magno iudicio valeant, sed etiam varijs disciplinis exculsi sint: tales certè esse par est, qui ad verbum Dei disseminandum, & ad munus planè Apostolicum à superioribus deliguntur. Sed illud me hac in partè consolatur, quod eosdem, quibus hæc scribuntur, vt suo loco dicetur, moribus vitæque supra cæteros probatos esse oportet: alioqui essent planè, quam alij minus idonei; vt hinc possim rectè conijcere, ac sperare, eos in meliorem semper partem quæcumque dicuntur, accepturos. Illud quidem ab omnibus petò, quæsoque, vt singula prius æquo animo, & amicis auribus accipiant, inde attentè, ac prudenter iudicent; tandem etiam ad vsum, & praxim reuocent, præsertim quod sanctorum Patrum maximè autoritate, & illustrium virorum testimonio nitamur. Spero enim fore, vt ipso vsu,

Hier. 48.

AD LECTOREM

Redditur ali
qua ratio co
rum quæ tra
ctantur.

1. *Cor. 7.*

esse non inutilia deprehendant. Jam vero instituti nostri ratio hæc est. Principio ab Oratoris Christiani officio, initium sumendum esse duximus non solum, quia id doctrinæ huius ordo postulabat, quæ ab officio, & sine cognito cætera metiri debet: verum etiam, quia cum Apostolo teste, unusquisque, in ea vocatione, qua vocatus est, ambulare debeat id volumus, ut qui ex eorum numero se esse cognoscunt, qui ad hoc munus vocati non sunt, non se ingerant. Qui vero divinæ vocationis signa conspiciunt non detrectent, sed id curent maxime, ut tanto alijs sanctitate præcellant, quanto locus, quem dicendo, in Ecclesia tenent, omnibus eminet. Quid autem ab ijs Dei vocatio, & munus requirant, hoc opere intelligunt. Ob hanc ipsam causam secundo loco, de virtutibus, quæ Oratori nostro necessariae sunt, & apud Deum hominesque magnam illi gratiam, magnum Ecclesiæ Dei Ornamentum, ac beneficium conciliant, ex sacrorum librorum testimonio, & patrum antiquorum maxime sententijs à nobis agitur: ut apud se quisque tanti negotij pondus expendat, in eoquæ ita desudet, industria, & virtutum solidarum acquisitione, ut tanto se munere minime indignum ostendat. Et quoniam non privatum virum institimus, sed populorum Doctorem, ac Ducem, qui non exemplo solum, sed sermones, ac doctrina Christi fideles, ac si possit, mortales omnes instituat, multiplicium deinceps scientiarum apparatus illi proponimus, ut tanto operi commodè obeundo idoneum se comparet instrumentum. Cui præterea varia ad benedicendum quasi præexercitamenta, seu progymnasmata adiecimus, quibus privatim, antequam in publicam exeat palestram eradiatur, ut quanto paratior prodierit, tanto & Deo, & Ecclesiæ fructuosius seruiat. His de Oratoris persona tractatis ad ipsum opus, quod est concio accedimus. Hic autem primo loco de Evangelici doctoris eloquentia differere placuit, ut veram statim à corrupta eloquentia distingueremus; & iudicium fieret inter eam facundiam, quam sancti Patres merito insectantur, & locum in sacris concionibus habere nolunt, atque eam quam & ipsa divinæ literæ amplectuntur, & sacras conciones non ornent modo, sed efficaces, ac fructuosas reddat. Tum de Rhetoricæ divinæ partibus agimus: quam quoniam à Politica Ethnicorum arte multum distare arbitramur, de ipsa eius materia, & causarum nostrarum generibus, ut nobis opportunissimum visum est philosophati

PRAEFATIO.

phati sumus: Multa vero quae ex profanis scriptoribus, de Oratoria facultate ad nostrum usum facerent, non modo libenter admittimus, sed vltro etiam nostris Concionibus conati sumus accommodare. De locorum Theologicorum Inuentione; aliquid copiosius tractamus praesertim de his, qui ad Christum eiusque mysteria, & Christianam nobilitatem pertinent, quod haec pars nostrarum Concionum maximè sit propria, & nobilissimum afferat ad omnem virtutem incitamentum, ac propterea sit frequentius explicanda. In plerisque etiam alijs argumentis communes proposuimus locos, vt de peccato, de poenitentia, de statibus, de progressu virtutum, de Christiana perfectione, de affectibus, existimantes his locis longè plus Oratoris industriam iuuari posse, quam multarum copia praeeptionum, ne quis fortè obijceret, Plus auxilio, quam consilio indigebamus. Qua in re etiam antiquos Rhetores imitamur, qui in suarum causarum materijs copiose locos assignarunt, vt apud Aristotelem videre est: cuius nos tractationem de affectibus in breuem summam, ideo collegimus, quod inter homines sapientes constare video, hoc argumentum ab Aristotele ita esse plene accuratèque scriptum, vt nemo plus in eo vidisse, nemo subtilius exequutus putetur. Tertiam operis partem Concionatoris prudentia dedimus, quoniam multa sunt, in quibus saepè multis contra hanc virtutem, & contra loci maiestatem, ac decorum peccatur. Et multa notauimus non tam ex libris, quam ex ipso vsu praedicatorum, ea mente, vt aliquorum lapsus, & imprudentia, alijs cautio esset. Quoniam vero laudabilis Eleemosynas in pauperum beneficium, colligendi consuetudo, perpetua verbi Dei comes in Italia esse solet, non sum arbitratus molestiam me lectori allaturum (qui ab hac molestia facillè si velit, liberari potest ad alia transiens) si multa ad manum collecta habeat, quibus ad hoc tam pium opus possit excitare auditores. Praeterea multorum annorum experientia didici, sicut & alij experti sunt plurimum valere, si inter concionandum monita, quaedam ad vitae spiritualis instructionem, & praxim admisceantur; ideo multa ad hunc quoque usum collegimus, haud superuacaneum rati laborem, quo posset Christianus populus adiuuari, ut ipsa res eos, qui experiri voluerint, edocebit. De alijs rebus, quae ad hanc nostram institutionem pertinent non est, quod dicam. Legat cui placuerit. Illud postremò le-

AD LECT. PRAEF.

orem moneo, in instituendo Christiano Oratore; non tam
fermonis elegantiam, & flores, quam styli familiaris dilucidi-
tatem, & operis, quod intendimus utilitatem quarendam,
fuisse; ac summam in eo praecipue sitam, ut Orator pius, ac
sanctus efficiatur. Tum enim caetera vel non desidera-
bit, vel sponte sequentur. Adsit nobis Deus, & operi
nostro faueat, ut fructuosa dicamus, & nihil
omnino aliud in votis nobis sit, quam Dei
gloria, Ecclesiae beneficio, & com-
muni omnium bono deferuire.

Quid autem totum hoc

opus particulatim

contineat, subie-

ctus index

vno

statim aspectu in-

dicabit.

